

Circulorum, qui se mutuò rectè secant, unus transit per alterius Polos : & contra :

Circuli, quorum unus per alterius Polos transit, secant se mutuò ad angulos Rectos.

Circuli maximi rectè & per Polos se secantes, bisecant se mutuò : Et contra :

Circuli maximi sese mutuò bilecantes, secant se quoq; mutuo ad angulos rectos, & per Polos : *Per 11. 12. 13. 14. I. Sphericorum Theodosij.*

Ita in Globo iterum *Æquinoctialis* & *Colurus Æquinoctiorum*, de quibus etiam prius egimus, Circuli uterq; Maximi 1. ad angulos rectos se secant mutuò : quia poli unius à suo circulo distant *per superiora* quadrantibus alterius circuli, quod in Sphæricis omnem annutum & abnutum lateralem tollit æquè certè, atq; in Planis perpendicularum : 2. unus etiam per alterius polos transit : siquidem poli *Æquatoris* omninò in *Coluro* ipso, *Coluri* poli in ipso *Æquinoctiali* sunt : 3. bisecant se mutuò : quia enim unus per alterius polos transit, poli autem nulli sui circuli parti annuunt aut abnuunt, utiq; nec circulus per Polos illos decurrens id committet. Quod de his duobus circulis dictum est, id & de *Æquatore* & *Coluro Solstitiorum*, de *Eclipticâ* & *Coluro Solstitiorum*, de *Coluro* utroq; de *Æquatore* & *Meridiano*, de *Meridiano* & *Horizonte*, de quovis circulo *Declinationum* & *Æquatore*, deq; quovis circulo *latitudinum* & *Ecliptica* verum est.

Circuli Maximi, qui ad Angulos Obliquos sese mutuò interfecant, non quidem per Polos, bivariam tamen sese interfecant.

Quia scilicet Maximi, quo nomine idem uterq; cum Sphæ-  
râ cen-